

tur ; adversus communem hostem pro suo munere concitet , atque impellat . Unus Granuelanus Cardinalis a Pontifice dissentiens , de Republica est obloquutus : *Venetos per multos annos aliorum summa pericula , exantlatos labores , illatas , acceptasque clades sedentes inspexisse ; tempus adesse , quo ceteri quoque eorum calamitates intueantur , quibus si quid durius hoc bello accidisset , tunc de ope , atque auxilio illis ferendo agendum . E vagina eductis gladiis , cruore respersos sanctius pactiones , ac fœdera servaturos .* His aculeatis in Rempublicam Granuelani verbis plerique vehementer commoti sunt ; neque defuere qui Venetos a calumnia vindicarent , superiori bello ab iis gesta jure meritoque facta tuerentur . *Invidios coactosque ad pacem cum hoste descendisse , quod post bellum triennio suis fere universum sumptibus administratum , ab Hispanis promissa de frumento ac commeatu urbi & classi suppeditando , uti fœdere cautum fuerat , non præstarentur : quod Neocastrum ex pactionibus debitum retinuisent : prisci annales excuterentur ; Reipublicæ gesta ab illius origine evolverentur : Venetos continenter pro christiana religione adversus barbaras gentes , pro Apostolica Sede ornanda atque amplificanda nullis laboribus , nullis sumptibus , non denique civium sanguini , non vitæ pepercisse satis constabit : labefactari illos non posse , quin eodem impulsu reliqui Principes , ac præsertim pontificia dignitas concutiat . Cur igitur Pius cunctaretur ? cur vivido Venetorum ad bellum suscipiendum impetu ad hostem opprimendum non uteretur ? Quid enim hac consiliorum hesitatione sperandum , nisi ut fervor ille in Republica conceptus , sensim remissus evanescat , ac quaslibet pacis conditiones ab insolenti , & potentissimo hoste , dum se ab aliis desertam viderit , accipiat ; atque inde magnum reipublicæ christianæ detrimentum accedat , indelebilisque sacro huic Collegio nota a posteris inuratur , quod oblatam obtundendi hostis , atque a nostris cervicibus depellendi opportunitatem per socordiam omiserit .*

Pontifex igitur , qui antea per Surianum legatum de fœdere iciendo , deque Hispanica classe cum nostra conjungenda sententiam Senatui aperuerat , statim Ludovicum Torreum , Auditorem , in Hispaniam ad Philippum mittit : præcipit , omni studio curet , ut quamprimum a Rege triremes quinquaginta ,

Ve-

1570
Granuelani
Cardinalis
malevolum
in Venetos
officium .

A Granue-
lani male-
dictis &
calumniis
Veneti vin-
dicati .

Ludovicus
Torreus a
Pontifice
in Hispan-
iam mis-
situr .